# BINARIVS
## MODORVM PHYSICORVM

IN CATHOLICA ET ELECTORALI *Ingolstadiensium Vniuersitate*

PRÆSIDE

NICOLAO WYSING
SOCIETATIS IESV PHILOSOPHIÆ
PROFESSORE ORDINARIO




*Publicæ disceptationi propositus,*

PROPVGNANTIBVS RELIGIOSIS FRATRIBVS

FRANCISCO STADLER,
&
CORBINIANO MILLHER,
CANONICIS REGVLARIBVS ORDINIS
S. AVGVSTINI PROFESSIS IN ROTTENBVECH,
SS. Theologiæ ac Metaphysices Studiosis, & Philosophiæ Baccalaureis:

*Ad diem Iunij, Anno* CIↃ. IↃC. XXXI.



INGOLSTADII, *Ex Typographeo* GREGORII HÆNLINI.



# REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO S. R. I. PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

# VITO ADAMO

## FRISINGENSI EPISCOPO, PRINcipi, ac Domino suo Clementissimo.



Riennio propemodum, Reuerendissime, & Illustrissime Princeps, *Philosophiæ præparati iam sumus, & tamen hodie primùm leuato velo* Actionem *damus. Nimirum non antè prodire in conspectum tuum ausi sumus, quàm* Vnionem Actioni *isti insertam feliciori nexu nobis copularemus. Interea veretundati ad sublimissimos* Vestræ Celsitudinis *oculos accessum, latere hactenus veluti post Siparium maluimus, gnari haud quemquam facilè, nisi artis suæ peritissimum coram summis Principibus apparere vel posse, vel debere. Sed cùm promitti* Actionem *hic audis, nolumus* Te *Mostellariam aliquam, aliúdue id genus ludicrum à nobis expectare, vetat enim Reuerentiæ Genius ad Magnates, & Principes fabulam duntaxat afferre; procul ab istis viuimus, qui in Peripateticorum Scholis veritati litamus, &* Actionem *hanc rerum non vanarum* Vnione *connectimus. Sed neque idcircò putes* Actionem *hanc nostrã,* Vnionemque *omni carere oblectamento, quod seria admodum sit, & Academica: etiam illa suos lepôres habet, & Gratias; quin nullà potentiùs quotidianâ rerum varietate spectatores suos admiratione percellit; quidquid certè in pulcherrimo hoc orbis theatro Natura ludit, id omne per hanc* Actionem *producit mundi Choragus, per hanc* Vnionem *varietate mira compaginat. Atq; vt nihil ad spectantium voluptatem desideretur, quater in anno vel ipsi Romæ inuidenda versione suum theatrum mutat, quotiescunq; scilicet amæna temporum vicissitudine, aliam terris formam, aliam rebus* Vnionem *superinducit. Ad hanc ergo* Actionem Vnionémque *nostram* Te Reuerendissime & Illustrissime Princeps *demississimè inuitamus, eámq; sub Nominis Tui auspicio in publicum damus; sat magnum laturam se plausum sperat, si Tantum Principem Lectorem habeat, & saltem in his so-*

*bis folijs spectatorem. Nec verò temerè hic quicquam agimus, aut absq; ratione* Celsitud. V.rae *Patrocinium flagitamus. Cui enim Disputationem nostram tutiùs cõmisissemus? quàm Ei, cui totum Monasterium nostrum ita semper in amoribus fuit, vt Eum non solum vt amantißimum Principem suum, sed alterum etiam Abbatem Rottenbuechenses agnoscant. Vnum de sexcentis & quotidianis Beneficijs, ex eius, qui nobis cum auctoritate praeest iussione, proferimus, eò praclarius, quòd in ipsum Canobij nostri Antistitem contuleris. Cùm is ante annos non adeò multos sedere nobis ad clauum iussus esset, Tu ex hoc nuncio adeò ad complectendum illum Beneficentiae Tuae alas extendisti, vt posthabitâ Hiemis asperitate, & quidquid etiam summè amantibus obstare potest, illicò ad nos aduolares, & Electum tuimet Ipse manibus consecrares. Neque hîc stetit Beneuolentia tua, sed à capite in nos etiam & caetera membra liberalißimè dimanauit, semperq; dimanat. Quae Beneficentißimae* Actionis Tuae *ad nostrum Monasterium* Vnio, *vti non tertio quintoue actu absoluatur, aut etiam centesimo, sed perinde, vt semper in Remp. Christianam caeteram quoque extendi pergat, idcirco* Reuerendissimae & Illustrissimae Celsitudini Tuae *Animae corporisq;* Vnionem, *& vita* Actionem, *quâ prodest, immortalem à* DEO *precamur. Viue* Reuerendissime & Illustrissime Princeps, *& Fauorem in Tuos prosequere. Ingolstad. in Collegio S. Ignatij Martyris 2. Iunij. Anno Christi 1631.*

Reu.mae & Illust.mae Celsit.nis V.rae

*Deuotißimi*

F. FRANCISCVS STADLER.
F. CORBINIANVS MILLHER.

# Disputationis Ratio seu Modus.


Sitatam illam hoc temporis rerum distinctionem supponimus, quam Modalem vocant, nempe quâ res aliquæ ita inter se distingui dicuntur, vt ista quidem absq; illa consistere valeat, non tamen vicissim illa sine ista, etiam per absolutam DEI potentiam. Et licèt Mediam istam, inter rationis & rei distinctionem, temporibus omnino antiquissimis non multùm cognitam fuisse arbitremur, quia tamen ea in difficultatibus quibusdam omnino necessaria posteriorum temporum Auctoribus visa fuit, idcirco & nos eandem aliquousq; amplexi sumus, atq; hac disputatione etiam prosequimur. Aliquousq;, inquam; neq; enim ita sapidi & exoptati nobis sunt Modi, vt quamlibet difficultatem Modorum vel cõdimento condire, vel prætextu condere libeat: hoc potiùs nobis persuasum est, posse vniuersam, nõ modò Physicam, imò etiam Philosophiam vnico Modorũ BINARIO, tamquam bigâ aliquâ nixam prouehi, & si Dijs placet, reliquúsq; apparatus adsit, etiam triumphare. Jtaq; Vnio sola & Actio, Modi videntur de facto; de possibili etiam vnicus Modus posset sufficere, reiecto nimirum in Actionem officio Vnionis. Quòd si de alijs etiam rebus tamquam de Modis in speciem loquimur, id non alio sensu facimus, quàm Antiqui fecerunt, qui cuiusq; rei Rationem formalem seu perfectionẽ, habilitatémq; Modi nomine appellârunt; ita dicimus, quòd Modus operandi sequatur Modum essendi; ita iam iam disputationis Modum pro Methodo diximus; ita etiam non ignotus versiculus dicit:

Est Modus in rebus, sunt certi denique fines.

**Deniq; iam nunc etiã dicere libet, Modum de Vnione & Actione disputandi talem nobis esse, vt pro eo, ac aliàs soliti sumus, non præcisè de ipsis harum rerum entitatibus, verùm etiam de alijs adnexis decidamus; imo quia hanc disputationem ad corporis physici generationem explicandam potissimùm destinamus, idcirco etiam quandoq; principaliora sunt ea, quæ de Vnionis, Actionisque, etiam non expressæ, connotatis, quàm quæ de ipsâ earundem entitate proferimus.**

VIII. Vnio educitur ex potentiâ materiæ. Non secundùm aliquid sui, aut secundùm totam entitatem latet in materiâ; vel extra eandem ponitur; sed fit dependenter à causalitate materiæ. Licèt illa etiam in potentia agentis contineatur, in quo tanquam in sua causa efficiente inest, non tamen de potentia agentis educi dicitur. Eductio vnionis quandam passionem eiusdem in subiecto significat, quæ passio agenti non conuenit.

IX. In omnibus compositis vnio est materialis entitas. Si in homine vnio esset spiritualis, in quantum se tenet ex parte animæ, vt hæc per illam sibi in spiritualitate proportionatam materiæ iungatur, etiam talis deberet esse ex parte materiæ, quia vnionem animæ spiritualem cum materia connectit. De possibili similis vnio spiritualis non videtur deneganda, quæ se intrinsecè teneat ex parte formæ, & subiectum materiale extrinsecè afficiat.

X. Vnio spiritualis, siue diuisibilis siue indiuisibilis esset, quâuis parte viuenti adgeneratâ, mutaretur; quia aliud modificatum respiceret. Vnionem supernaturaliter Creari, nec ratione materialitatis nec ratione modalis entitatis implicat. Dependentiam à subiecto ratione influxûs causæ materialis in effectum DEVS per modum creationis compensare potest. Dependentia modalium entitatum à terminis nec per absolutam potentiam tolli potest. In quouis composito vna tantùm numero vnio datur, quâ solâ positâ impossibile est, vt non etiam eò ipso duo vnita dentur.

XI. Si diuinâ virtute duæ formæ vnam materiam simùl informarent; vel duæ numero materiæ vni formæ substarent, tum duæ quoque ibi vniones essent. Non repugnat supernaturaliter in vno composito, quod vnâ solùm formâ & materiâ constet, duas distinctas totales vniones intercedere. Per vnam vnionem tollitur quidem indifferentia compositi existendi per hunc modum; non tamen tollitur indifferentia illius existendi per alium modum.

XII. Ab vtraque illa vnione compositum tale in ratione nexûs dependeret; & quoad hunc Esse suum ita acciperet, vt quâlibet deficiente ipsum tamen persisteret. Licèt vtraque per se sit nexus illius compositi; alteram tamen per accidens applicatam esse dicimus. Vnio naturaliter inexistit materiæ vt subiecto, & afficit formam vt terminum extrinsecè. Hoc extrinsecum afficere ipsius formæ sufficit ad id, vt non solùm materia formæ, sed etiam forma materiæ intrinsecè ad compositum faciendum iungatur: perinde vt in attractione magnetis, & iste ferro, & hoc illi iungitur, & quodammodo vnitur.

XIII. Intrinsecè aliquid alteri vniri, dupliciter maximè intelligi potest. Primò, prout idem est, ac secundùm suam entitatem alteri vniri. Secundò, prout idem est, quod vniri alteri per aliquid ei, quod vnitur, inexistens. Priori modo, non item posteriori, formæ dicuntur materiæ vniri. Sic etiam Verbum Diuinum humanitati intrinsecè vnitum est; ad quod plus non requiritur, quam vt vnionem verè terminet. Etiam murus quoad entitatem intrinsecè dicitur cognitus, priori Intrinseci denominatione, licèt alioqui cognitio ei sit tantum extrinseca.

XIV. Quantumuis vnio in forma subiectari concederetur, non tamen omne id quod habet vnionē eius subiectum esse dici deberet, sed in aliquo casu, loco vocis subiectum vox terminus, vsurpari deberet. Si vnio subiectaretur in solâ formâ, tum in productione hominis parens non esset causa generatæ prolis, vtpote qui vt agens corporeum in formam spiritualem agere, ac Vnionem educere non posset.

XV. Parens non potest dici ipsam substantiā vnionis non attingere, sed solas dispositiones; ad quarum positionem DEVS vnionem producat. Qui dispositiones ponit, alterationis tantùm, non generationis causa est. Si dispositiones in subiecto ponere sufficit ad id, vt aliquid causa generationis dici possit, etiam pater animæ rationalis causa dicetur, quia completis dispositionibus in materia DEVS animam producit.

XVI. For-

XVI. Forma si esset subiectum vnionis, in aliquo priori illa huic præsupponeretur; possetq; concipi producta absque eo, vt subiecto sit vnita: quod vtique naturæ fini repugnat. Non vrget, quòd communiter vnio formæ identificari dicatur, huius enim sensus alius non est, quàm quòd vnio aliquo modo se magis ex parte formæ, quàm materiæ teneat. Materia tanquam basis generationi præsupponitur, cui vna cum forma simul vnio superueniat.

XVII. Si vnio in vtroque simul extremo compositi subiectaretur, tum vna & eadem res duabus simul actionibus naturaliter produceretur. Altera actio in materia, altera in forma tanquam connaturalibus subiectis distinctis reciperetur. Vna numero actio, ex vtroque subiecto vnionem educens, esse non potest: Vnus namque modus non nisi vnum modificat; & accidens transire de subiecto in subiectum naturaliter nequit. Non sufficit ad vnitatem actionis hîc defendendam, quòd partes reipsâ sint vnitæ; quia sic forma quoque & materia vnâ numero actione conseruari possent.

XVIII. Eadem vnio est causalitas & materiæ & formæ in Compositum, secundùm suam entitatem spectatum; tam in primo instanti, quo ipsum producitur, quàm deinceps. In quantum est id, per quod forma perficit materiam, distinguitur à se ipsâ formaliter, in quantum est id, per quod materia formam recipit. Respectu formæ dicitur Informatio, respectu materiæ Sustentatio, seu Materialisatio.

XIX. Causalitas vniuersim id est, ad quod effectus formaliter sequi intelligitur; & quo solo ablato, licèt cætera requisita adsint, effectus non ponitur. Effectus principalis formæ & materiæ est compositum, quod ad positionem vnionis formaliter sequi intelligitur. Vnitum esse & compositum esse inter se non distinguuntur perfectè formaliter. Vbicunque vnio est, ibi Vnitum aliquid esse dicitur, vtpote ab abstracto concretum inferendo.

XX. Quia vnio, prout est causalitas materiæ in formam & compositum, multipliciter se habere potest, diuersimodè quoque eam, ad ambiguitatem vitandam, appellare conuenit. Si & forma & vnio dependenter à concursu materialis causæ fiat, illam vnionem sustentatiuam vocamus, eò quòd omnem molem superimpositam sustineat. Quando sola vnio educitur, & forma creatur, vnionem receptiuam appellamus, quia à receptione formæ, tanquam à potiori, rectiùs denominari videtur.

XXI. Si supernaturaliter etiam vnio cum formâ creetur, ea nobis informatiua dicitur; Cùm præter informationem nihil aliud importet. Aliam vnionem per absolutam potentiam possibilem admittimus; quæ talis sit, vt ipsa Creata formam, ex potentiâ materiæ eductam, eidem nectat. Ob hoc officium, quod nulli alteri vnioni competit, ea connexiuæ nomen per principalitatem obtinet.

XXII. Forma taliter educta non esset in materia, tanquam actus in sua potentia, sed tanquã actus ex potentia eductus. Non faceret cum alterâ parte subiectiuâ compositum per modum actûs & potentiæ, sed per modum quasi partium integrantium, si vnio nec materiæ nec formæ intrinsecè inesse, sed vtrumque tantùm extrinsecè afficere poneretur. Forma non potest inesse vt Quod, & tanquam actus, nisi per aliquid, quod insit subiecto vt Quo.

XXIII. In Composito si sola vnio educta sit, compositum totum generatum dicitur. E contra licèt vnio creetur, non perinde totum compositum Creatum dicendum est, si forma in eo per influxum causæ materialis producta sit: ad denominationem enim à formâ perfectiori, qualis etiam est Creatio, requiritur causa integra; ad imperfectam denominationem sufficit quiuis defectus. Quòd generatio naturaliter terminetur ad vnionem, hoc diuinæ potentiæ nihil præiudicat; cùm ex defectu finis natura multa intermittat, quæ Devs præstare potest.

XXIV. Si sublatâ ex aliquo composito vnione, alia substitueretur, non maneret priùs numero

numero compositum. Sicut trium obiectorum visio essentialiter tria obiecta requirit, ita hoc numero compositum hæc numero extrema cum suo nexu essentialiter exigit. Eadem numero vnio sine eductione, cum qua priùs coniungebatur, à Deo conseruari potest. Etsi vnio nec supernaturaliter possit esse sine suis modificatis, potest tamen esse extra illa, ita vt vtrumque tantùm extrinsecè afficiat, ab ijsque extrinsecè dependeat; sicut defacto vnio in composito extrinsecè solùm à forma dependet.

XXV. Vnio se ipsâ, non per superadditam aliam vnionem, partibus coniungitur: siquidem omnis modalis entitas ex se determinata est, & debet necessariò vniri subiecto, eò quòd nullo pacto sine suo modificato existere possit. E contra partes essentiales compositi, cùm sint entitates absolutæ, & separatim existere possint, ad id vt vniantur, per aliquid superadditum determinari, & coniungi debent: sicut murus vt disgreget visum, albedine opus habet; ipsi autem albedini ex natura sua non per aliam albedinem competit esse disgregatiuum visûs.

XXVI. Licèt vnio in composito inter extrema intercedat, forma tamen materiæ immediatè cuniungitur. Mediatè agere aliquid tum dicitur, quando mediante alio vt Quod agit. Vnio non est medium vt Quod in composito, sed tantùm vt Quo. Ratio vniendi non magis tollit immediationem, ac ratio videndi, in qua obiectum immediatè attingi dicitur, quantumuis visione mediâ id fiat.

XXVII. In ratione entis vnio quidem est quid imperfectum, non tamen in ratione modi. Peculiarem subsistentiam non habet, licèt sit modus substantialis; cùm subsistentia sit perfectio entis in communi, non verò eius, quod est modus tantùm entis. Hac modali entitate nõ potest quid dari perfectius, vt ex duobus vnum fiat. Qualitates sine vnione subiecto nil prosunt; nec gratia nisi vnita Deo hominem gratum reddit. Non per solam vnionem, sed per humanitatem vnitam Devs homo dici potest.

XXVIII. Vnio non est principium physicum transmutationis, quantumuis ad omne compositum naturale requiratur. Nec terminatiuè secundùm se, nec constitutiuè tanquam pars principiat; quod tamen ad essentiam principij physici spectat. Non impedit, quo minus vnio sit causalitas formæ, & materiæ in compositum, licèt hoc à partibus vt vnitis non distinguatur realiter. Sufficit ad rationem causalitatis, vt vnio specificatiuè sumpta, & secundùm se sit quid realiter modaliter à suo effectu distinctum.

XXIX. Vnio Corporis naturalis est diuisibilis, & pars illius parti corporis respondet. Ad hanc diuisibilitatem anima rationalis in se quidem indiuisibilis, materiam etiam diuisibiliter informat. Qñdo membrum à corpore humano abscinditur, vnio illius membri, tanquam materialis corrumpitur, & animæ præsentia localis ad illud terminari desinit; vtpote cuius officium non sit discontinua informare. Vnio in diuersis partibus eiusdem compositi nullam heterogeneitatem habet.

XXX. Si Deus annihilatâ cum formis substantialibus omni materiâ primâ, relinqueret quantitatem vna cum qualitatibus, atque istæ ita in aliquam quantitatem agerent, vt cum tali qualitatum intensione prior forma si adesset, non amplius subsitura esset; tum Devs ex naturali congruentia reuniret quantitatem materiæ, atque aliam formam subtantialem produceret. Probabilius est, quòd in hoc casu Devs priorem numero vnionem vnâ cum sua materia quantitati reproducat.

XXXI. Vnitio quantitatis cum subiecto fieret in eodem instanti temporis, in quo dispositiones complentur, materia reproducitur, & forma educitur. Sine vnione materia prima naturaliter esse non potest; sicut nec sine omni forma substantiali, vel accidentali. Potentia materiæ non est de secunda specie prædicamenti qualitatis; nec materiæ per aliquam vnionem coniun-

coniungitur: sed est de essentia illius, tanquam respectus transcendentalis ad omnes formas naturales possibiles.

XXXII. Si vnio creetur, fortiori concursu à Deo conseruari debet quàm si eam dependenter à concursu causæ materialis produxisset. Formæ materiales, vel accidentales, vel substantiales, si creatione suum esse acciperent (prout fieri posse concedimus) possent supernaturaliter subiecto vniri, ita vt ad solam vnionem noua actio terminetur. Subsistentiæ duæ partiales, materiæ scilicet & formæ vniuntur in vnam totalem & completam. Hæc vnitio fit quasi extensiuè; velut indiuisibilia in quantitate dicuntur vniri ex eo, quòd per ipsa duæ quantitates entitatiuè extensæ vniantur; non verò intensiuè, vel per modum actûs & potentiæ.

XXXIII. Vnio non est effectus formæ in genere causæ efficientis; priùs enim est, vt forma sit, quàm vt operari possit. Forma naturaliter in prima productione non est, nisi informando per vnionem; & sic suæ operationi vnionem, tanquam ab alio productam præsupponit. Expulsio prioris formæ in generatione fit mediâ informatione; id est productione nouæ vnionis cum noua forma, & destructione prioris vnionis cum sua forma.

XXXIV. Esse corruptibile Corporis humani prouenit à modo informandi corruptibili, nempe vnione; non verò ab esse aliquo distincto, & ab entitate formæ in materiam deriuato. Esse viuentis habetur per solam animam subiecto vnitam, absque alio esse superaddito. Si formalis terminus generationis accipiatur pro eo, quod constituit compositum, tum formalis terminus nec vnio sola, nec sola forma est, sed forma vt vnita; per neutram enim seorsim compositum constituitur. Si generatio spectetur, vt habet rationem actionis vnitiuæ, eius terminus formalis est vnio, vt quæ per vnitionem constituitur. Si generatio præcisè spectetur, vt est productio, pro formali illius termino est gradus aliquis communis vnioni & formæ, nempe ratio educibilitatis ex subiecto.

XXXV. Si per absolutam potentiam fieret corpus opacum, & Devs vellet manente eadem opacitate lumen tali corpori vniri; tum lumen indiuisibiliter extensum immediatè ante corpus consisteret, & vnionem in se receptam ad corpus terminaret. Si Angelus per impossibile in indiuisibili spacij existeret, non videtur sufficienter alicui corpori coniungi posse, vt eidem naturaliter vniatur; & hoc non tantùm ideo, quòd sit substantia spiritualis completa, sed quia alium planè locum, saltem indiuisibilem occuparet quàm corpus.

XXXVI. Homogenea seipsis, non per distinctam vnionem connectuntur, & faciunt potiùs vnum per vnitatem, quàm per vnionem. Quando plures aquæ confunduntur, & inter se se vniuntur, eæ non generari, sed continuari dicuntur. Licèt calidum vt vnum non possit effectiuè intendi à calido vt vno, potest tamen formaliter, seu per vnitionem gradûs cum gradu. Lumen in reflexione per veram vnitionem partium luminis intenditur, & non tantùm vicinæ partes magis illustrantur. Intensionem & vnionem non impedit, quòd alterum lumen sit directum, alterum verò reflexum.

XXXVII. Duo luminosa per vnum foramen tabulæ tralucentia, in ipso foramine vniuntur, licèt quoduis suum lumen in diuersa producat. Lumen sicut in esse, ita in operari ab agente principali dependet; & sic sui luminosi modum, qui est per viam rectam agere, lumen etiam in foramine imitatur. Ex eo, quòd candela accensa alteri itidem accensæ præposita vmbram faciat, potiùs intensionem à duobus luminibus non impeditis fieri, quàm contrarium ostendit. Vmbra est lux minor propter obiectum corpus; hoc si auferatur, lux maior fiet, vel ab vno, vel pluribus luminosis producta, & tanquam aliquod homogeneum vnita.

XXXVIII. Rationem formalem augmentationis inter omnes mutationes, quæ variæ ad eam concurrere possunt, constituit vnitio quantitatis alimenti cum quantitate aliti. Ad hanc, respectu

respectu viuentium augmentationem Philosophus tres Conditiones requirit; Prima, vt id, quod augetur, secundùm omnes partes (sensibiles) augeatur; Secunda, vt accedente extrinsecùs materiâ augmentetur; Tertia, vt res aucta maneat eadem numero. Hæc vnitio quantitatis alimenti cum quantitate aliti ex sententia Aristotelis debet etiam connotare maioritatem loci occupati, adeò vt augmentatio hìc descripta non sit, si vel plus, vel tantundem quantitatis deperdatur, quantum accedit.

XXXIX Quando definitur augmentatio esse mutatio à minori quantitate ad maiorem per intussusceptionem, non est sensus, quòd sit mutatio ad quantitatem producendam, sed tantùm vniendam: quantitas enim ingenerabilis est. In augmentatione non producitur noua extensio: illa enim viuens debet facere simpliciter maius; hæc autem ab entitate rei tantùm formaliter distincta, viuens secundùm locum solummodò maius facit. Quamuis prima introductio formæ, & vnitio quantitatum possit esse in aliquo indiuisibili, tamen quia in tempore hoc instans consequente etiam fit augmentatio, eam successiuam & continuam esse posse dicimus. Diminutio opposita augmentationi fit per desitionem Vnionis inter quātitatem, & materiam alimenti, & aliti.

XL. Mixtio formaliter & in vnitione miscibilium, & productione formæ mixti consistit. In mixtione omnium elementorum materiæ inter se vniuntur; Elementa autem, quoad suas formas substantiales non manent in mixto sed tantùm quoad suas qualitates refractas Elementa quoad quasuis partes, non tamen quoad se tota substantialiter inter se transmutari possunt; & quidem immediatè tam asymbola, quàm symbola, illa tamen faciliùs, quàm hæc. Potest item ab asymbolis tertium specie distinctum elementum produci; non verò à symbolis in statu naturali positis. Miscibilia, vt faciliùs in se mutuò agant, & sibi mutuò vniantur, in exiles particulas, ac in certâ proportione comminuta esse debent. Mixtio connotat vnitionem miscibilium, quam productio mixti, vt sic, non connotat.

# ACTIO.

I. Quam hoc loco actionem consideramus, ea sic genericè duplex est, Creatiua & eductiua. Hæc fit dependenter à causa materiali: illa autem ex nihilo, seu non præsupposito subiecto: Creatio tripliciter sumi potest; Primò, strictè, eo nimirum modo, quo iam diximus: Secundò, latiùs, prout id includit, quod saltem dependet ab eo, quod factum est ex nihilo. Denique pro quauis effectione, quomodò omnem generationem inuoluit. Eductio, vt sic, omnem generationem creatā complectitur; & abstrahit tam ab ea, quæ est mutatio, quàm ab ea, quæ præcisè actio est.

II. Actio est causalitas efficientis, vtpote per quam formaliter aliquid constituitur in esse agentis. Causalitas causæ efficientis non est influxus quidam, qui sit prior omni actione, & indistinctus ab entitate agentis. Si talis influxus esset causalitas, tum posset aliquid fieri actu causans absque superaddita entitate, seu medio realiter distincto Omnis alia actio sic frustranea foret, vt quæ influxu posterior, iam positum ab influxu, tanquam causalitate, terminum inueniret. Si actio prior esse illo influxu poneretur, itidem nihil ageret; nam effectus sine causalitate haberi non potest: & tamen actio causam in actu secundo constitueret.

III. Actio non est propriè effectus agentis; impropriè tamen dici posset, eò quòd saltem aliquo modo ab agente dependeat. Producitur seipsâ, non per aliam actionem, ne detur processus in infinitum. Est quid realiter modaliter distinctum, tam ab agente, quàm à ter-

mino & passo. Dicitur actio in quantum se habet ex parte principij effectiui; passio verò respectu principij subiectiui, si eductiuè fiat. Non est in agente, licet eius perfectio esse dicatur. Agens extrinsecè tantùm, ab ea denominatur, sicut murus à visione.

IV. Actiones immanentes non dicuntur tales ratione sui, sed respectu termini, qui in eodem, à quo procedit, recipitur. Specie saltem inadæquata differunt à reliquis actionibus transeuntibus, & in ratione solùm generica cum illis conueniunt. Maior conatus, qui quandoque est in agente, & actio intensior, quæ ab eodem nonnunquam procedit, non est quid à potentia agentis, & ipsa actione distinctum: sed in actu primo est ipsa potentia sese perfectiùs applicans; in actu secundo est ipsa perfectior entitas actionis.

V. Actio non est ipsum agens connotando terminum, seu prout refertur ad terminum: similiter non est terminus, in quantum dicit relationem prædicamentalem ad agens. Actio cùm à Philosopho pro fundaměto relationis ponatur, hàc aliquo modo prior esse debet. Idem terminus, idemque efficiens quandoque manet, & tamen terminus duabus successiuè actionibus, nempe eductiuâ & creatiuâ produci dicitur; quod vtique aliquid ab vtroque tam termino, quàm efficiente distinctum infert.

VI. Qui dicunt actionem esse ipsam entitatem termini, prout in obliquo connotat modum dependentiæ, in hoc tantùm nomine tenus à nobis distingui videntur; æquè enim facilè illum modum dependentiæ actionem vocarent. Quando Aristoteles. 3. Physicorum tex. 4. negat actionem esse aliquid præter rem seu terminum, plus non vult, quàm quòd illa non strictè realiter à termino distinguatur. Ipse terminus non potest esse actio, quia per hanc sibi ipsi suum esse, tanquam per causalitatem communicaret.

VII. Actio eductiua est modus accidentalis, etiam respectu substantiarum. Non spectat ad esse intrinsecum ipsius substantiæ, sed extrinsecè eam complet, existentiam communicando. Specificatur quidem à termino, non tamen vt eiusdem cum illo entitatis fiat; sed vt propter diuersos specie terminos, ipsæ quoque actiones specie distinguantur. Sic alia eductio dicitur generatio, eò quòd formam substantialem producat, quæ terminum simpliciter alium facit: alia verò alteratio, vt quæ per accidens productum solummodò terminum alteret.

VIII. Si formaliter sumatur actio, vniuocum quid est ad omnes actiones eductiuas. Præter passum afficit etiam terminum, cum quo identificari dicitur, idque ex communi modo loquendi; quo quidem Auctores plus non volunt, quàm quòd termino intimè adhæreat, & vnà quasi cum eo entitas videatur. Licet actio etiam passo intimè adhæreat, non tamen cum illo identificari dicitur ex eo; quòd & passum sibi præsupponat, & quandoque omnino sine hoc esse possit, quorum neutrum fit in termino.

IX. Actio à passione, vti & motu, qui definitur esse actus entis in potentia, quatenus in potentia, non nisi formaliter distinguitur; & impossibile est, vt sit eductio sine passione, aut hæc sine illâ. Passio tantum accidentaliter conuenit rationi genericæ actionis, ac proinde nō ab omnibus speciebus participatur. Vnitas actionis & passionis est realis, vt quæ sit negatio, ordinata ad tollendam formam, quæ reipsâ seiungatur ab actione & passione, nempe ad tollendam distinctionem realem, quæ in actione & passione non reperitur, perinde vt cæcitas est negatio realis in eo, in quo potentia visiua à parte rei non est.

X. Terminus formaliter sumptus includit etiam diuersam comparabilitatem ad agens, & modū suæ productionis. Quantumuis ad eundem numero terminū plures successiuè actiones pertingere possint, alius tamen numero terminus aliam quoque actionem requirit. Adæquata licèt specificatio actionis à termino non desumatur communiter, nihilominus cum Aristotele ab hoc illa specificari dicitur ex eo, quòd terminus sit quid vltimatò actionem complens, & reliquis iam quasi præsuppositis superueniens.

XI. Nec

XI. Nec per absolutam potentiam actio sine termino esse potest, si causalitas physica sit. Si aliqua daretur, quæ non haberet terminum, non esset eiusdem speciei cum reliquis; & careret relatione transcendentali intrinsecè specificante cæteras actiones. A termino formaliter sumpto actio habet suam vnitatem numericam & formalem, saltem inadæquatè, ita vt vbi sunt diuersi genere vel specie termini, sint etiam genere vel specie distinctæ actiones.

XII. Actio instantanea & successiua non differunt specie essentiali, cum actioni verè sit per accidens hoc vel illo modo produci. Successiua actio dicitur, quæ coexistit tempori; instantanea quæ instanti: siue iam in entitate sit diuisibilis, siue indiuisibilis. Productio Angeli, vel aliarum rerum permanentium, quæ suum esse simul accipiunt, secundùm se non petit esse in instanti; cùm illa productio iam per multa sæcula duret.

XIII. Motus naturalis & violentus non habent eadem formaliter agentia & terminos; propterea specie distinguuntur. Prior est à natura, prout formaliter exercet rationem naturæ: Posterior est ab eadem, in quantum hoc officium non exercet. Hoc posteriori modo etiam quadantenus calefactio aquæ est naturalis respectu principij effectiui, non verò subiectiui: Quãdo motus à pluribus agentibus producitur, tum ille quidem vnus numero continuus & totalis motus est; plures tamen partiales pro numero agentium motus esse, dici potest.

XIV. Creatio non est tantùm actio grammaticalis, sed est verissimus influxus, statuens terminum extra suum nihilum, eique realitatem conferens. Non est in termino tanquam in subiecto adhæsionis; omne enim subiectum Creationi repugnat; & modi substantiales quantumuis adhæreant, accidentia tamen non sunt. Non termino inhæret tamquam subiecto; cùm enim quod inhæret causetur physicè ab eo, cui inhæret, etiam Creatio à termino causaretur.

XV. Non potest dici, quod creatio secundùm rationem genericam accidentis petat quidem subiectum inhæsionis, non autem secundùm rationem specificam actionis, seu prout est via & processus ad terminum: Ratio enim generica & specifica realiter identificantur; & sic adhuc explicari oportet, quomodo illa realitas inhæreat, vel non inhæreat subiecto. Nec saluatur ratio accidentis in Creatione per hoc, vt dicatur vniuersim omnem actionem inhærere, & esse posteriorem naturâ ipso termino, atque sufficere, quòd hæc duo sint in eodem temporis instanti.

XVI. Creatio etiam respectu accidentis creati est modus substantialis, adhærens termino, nec vllo indiget subiecto. Spectat ad prædicamentum substantiæ; & si adæquatè sumatur, cum reliquis actionibus non aliter, quàm analogicè conuenit. Si consideretur secundum conceptum aliquem confusum, quem subire potest, secundùm suam quasi differentiam, potest aliquo modo vniuocè cum cæteris actionibus conuenire, in quantum nimirum sunt viæ quædam ad effectum producendum.

XVII. Actioni, quæ causæ est actus secundus physicus, respondet potentia actiua, tamquã actus primus. Hæc est principium proximum causandi formæ, aliquando realiter, aliquando verò ratione à substantia distinctum. Quando forma suas proprietates producit, non potest concipi illas per potentiam à se distinctam producere, sed instrumentaliter in virtute ipsius generantis agit. Quod communiter dicitur, proprietates in sua essentia eminenter contineri; non est intelligendum de continentia eminentiali in genere causæ efficientis, sed in genere causæ quasi exemplaris, vel certè finalis.

XVIII. Proprietates formæ sunt ipsius principium agendi proximum. Forma substantialis in composito est principium operandi radicale; & ad diuersas formas diuersi quoque effectus sequuntur, licèt materia sit eadem. Respectu quorundam accidentium immanentium eadem forma est principium proximum. Aqua per formam suam substantialem ad pristinum frigus

 reduci-

reducitur. Talis productio non simpliciter actio, sed cum addito emanatiua à Philosophis dicitur. Actio propriè in hoc ab emanatione distinguitur, quòd illa sit rei magis extrinseca, rémque per se loquendo in suo esse perfecto supponat; emanatio verò intrinseca est, & rem in suo esse connaturali perfecto statuit.

XIX. Principium agendi aliud est productiuum tantùm, aliud simul etiam conseruatiuũ. Quamuis possit esse aliqua causa conseruans, quæ non sit producens; non tamen potest esse conseruatiua, quæ non sit productiua. Discrimen inter has causas est, quòd conseruans & producens connotent actum secundum, conseruatiuum verò & productiuum, actum primum: vt ita in actu secundo nil conseruetur à causa, quod ab eadem, cæteris paribus, non etiam produci potuisset.

XX. Quando dicitur plus requiri ad productionem, quàm ad conseruationem; intelligendum id est de causa materiali, quod nimirum pluribus dispositionibus opus habeat, vt formam de nouo admittat, quàm vt eandem dein retineat. Cur aliquæ res à solo Deo conseruentur, aliquæ etiam à causis secundis, desumendum id est ex natura, conditione & officio cuiuis rei proprio. Proprietates disponentes materiam ad introductionem formæ à solo Deo conseruantur. Lumen, actus vitales, species sensibiles à suis causis conseruantur, & his deficientibus, etiam illa intereunt; vel extraordinario concursu à Deo conseruanda sunt.

XXI. Vnâ actione totali, & duabus partialibus forma substantialis & accidentia agentis, si simul sint coniuncta, effectum immediatè producunt. Accidentia, si transeunter producantur, eorum principium proximum per se necessarium non est forma substantialis, sed accidentia in agente subiectata. Licèt accidens sit instrumentum substantiæ, tamen alia accidentia in genere causæ principalis producit. In rigore verborum aliud est esse instrumentum, & aliud, esse causam instrumentalem. Instrumentalis causa dicitur, quæ effectum, propriam virtutem excedentem, producit. Instrumentum, est quidquid in alterius finem operari natum, quomodocunque dein se habeat respectu effectûs à se positi.

XXII. Accidentia sunt principium proximum, quo producuntur formæ substantiales. Etiam sola & separata à forma substantiali, immediatè producunt substantiam absque concursu alterius substantiæ. Accidentia, quæ sunt in passo, & non ea, quæ in agente subiectantur immediatè substantiam producunt. In absentia agentis extrinseci; in eius autem præsentia effectus talis producitur simul à forma substantiali, rationem causæ principalis habente, simul ab accidentibus tam in agente, quàm passo repertis. Quando accidentia taliter effectum substãtialem ponunt, cùm ille vim illorum propriam excedat, in virtute alterius, cui tanquam agenti principali effectus adscribatur, agere dicuntur.

XXIII. Causa principalis effectuum substantialium dicto modo productorum, non est aliquod indiuiduum vagum, aut aliquod singulare determinatum, sed natura communis. Per naturam in communi non intelligimus naturam abstractam, & formaliter Vniuersalem, sed materiale Vniuersalis, seu ipsa indiuidua, prout habent vnitatem formalem. Indiuiduatio tam substantiarum, quam accidentium est tantum conditio, non ratio formalis agendi.

XXIV. Indiuiduum, quantumuis sub sua natura communi contineatur, non tamen est causa sui ipsius: natura enim communis non secundùm se absolutè sumta est causa effectûs producendi, sed prout connotat certas conditiones ad agendum necessarias, quas indiuiduum, vt habet rationem effectûs producendi, connotare non potest. Cælum non est causa principalis substantiæ per accidentia sola productæ; potest tamen dici causa instrumentalis, si hæc omne illud comprehendat, quod alteri quomodocunque vsui est ad agendum. Simili causæ instrumentalis notione possunt etiam elementa, & quæuis causæ, vel efficientes, vel materiales accidentium,

cidentium, substantiam instrumentaliter producentium, aliquo modo naturæ specificæ cuiuscunque instrumenta dici.

XXV. Quando dicitur accidens in virtute alterius substantiam producere, tum illa virtus non est quid distinctum ab accidente. Accidens, vt sic, non spectatur præcisè sub ratione accidentis, sed in quantum ex essentia sua subordinatur, & commensuratur substantiæ, ceu fini suo, ac exemplari, causæque principali. Ad rationem causæ sufficit, vt effectum instrumentaliter, & virtute alienâ contineat, licèt in se sit entitate ignobilior ipso effectu. Ratio instrumenti vniuersim in quadam ad agens principale subordinatione, & illius ab hoc eleuatione consistit.

XXVI. Subordinatio ista in actu primo est respectus quidam transcendentalis ad agens principale, vt ab eodem accidens ad effectum instrumentaliter producendum adhiberi possit: In actu secundo est ipse vsus passiuus, per quem instrumentum in virtute aliena operatur. Eleuatio instrumenti naturalis non debet fieri per coniunctionem causæ principalis, perinde vt in artificialibus instrumentis requiritur; illa enim, non item hæc instrumenta agenti principali naturaliter subordinantur. Artificialia instrumenta in actu secundo coniunguntur agenti per contactum siue mediatum, siue immediatum, & per motum localem. Moralia per imperium voluntatis, & actionem inde consecutam eidem applicantur.

XXVII. DEVS in absentia causæ principalis fortiorem concursum instrumento taliter agenti concedere debet, quàm si illud effectum sibi similem produceret. In rebus creatis admittimus dari potentiam obedientialem actiuam; quæ à naturali, solùm connotato, distinguitur, & vt sic, supernaturalis vocatur. Potentia obedientialis est ipsa entitas causæ, prout præter actiuitatem sibi connaturalem, concursum DEI extraordinarium ad res generali viâ, & modo agendi debito, non producibiles connotat. Hæc potentia non est mera non repugnantia; non consistit in aliqua actuali motione instrumenti, quæ sit distincta ab actione DEI concurrentis.

XXVIII. Potentia obedientialis pro obiecto suo habet omne ens producibile. Creatura totum effectum per talem potentiam productum secundùm omnem formalitatem entitatiuè in virtute instrumentali continet. Respectu diuersarum comparabilitatum idem effectus ab eodem agente, & principaliter & instrumentaliter procedere potest. Visio beatifica, vt est intellectio, procedit ab intellectu principaliter; vt est intellectio supernaturalis ab eodem prodit instrumentaliter. Causa materialis, si aliàs effectui suo sit proportionata, semper est causa illius principalis, negatiua tamen. Non potest alia causa materialis naturaliter dari, in cuius virtute hos effectus sustineat, & sic causa instrumentalis dici possit.

XXIX. Creatura, quæ non intrinsecam aliquid propriâ virtute agendi, saltem inchoatam vim habet, non potest à DEO ad operandum per potentiam obedientialem assumi: Sicut sola DEI voluntas rem albam facere nequit; ita solum eius imperium, aut assistentia rem intrinsecè agentem non faciet. Et si in re philosophica vti licèt familiari exemplo, perinde truncus nunquam ambulabit, quantumuis ab alio, tanquam alioqui à Patre filiolus solet, manu ducatur.

XXX. Quantumuis actio propria Creaturæ concedenda sit, & non solus DEVS ad præsentiam Creaturæ, hoc potiùs, quàm illud producere dici possit; tamen implicat dari Creaturam solitariè agentem. Actio Causæ Primæ alia est ad intra, quæ ipsa DEI V. G. immanens volitio est; alia ad extra, ipsa nimirum V. G. actualis cooperatio DEI cum creatura, & aliquid ab illo manans, ac in Creatura receptum. DEVS cum causa secunda, eâdem actione realiter indistinctâ, nec priore, quàm sit actio Creaturæ, agit. Causa secunda nec ad specificam, nec ad numericam actionem à Causa prima prædeterminatur.

XXXI. DEVS

XXXI. Devs cum Creatura ad actum, quà ille physica quædam, non moralis entitas est, concurrit. Partialis causa dici non potest, si per eam intelligatur talis, quæ vel in suo genere habet aliam concausam, vel effectum non totum producit. Causæ partiales aliæ sunt subordinatæ, aliæ verò non. Non subordinatæ sunt, quæ cum alia causa ita ad effectum concurrunt, vt in hoc à se producto respondeat illis aliqua mensura ponderis vel intensionis, quam etiam seorsim producere potuissent. Subordinatæ sunt, quæ quidem ad effectum concurrunt, aliquam tamen solùm formalitatem in eo respiciunt, quam seorsim etiam producere non potuissent.

XXXII. Omnis actio causæ efficientis est ad id, vt agenti assimiletur effectus. Hæc assimilatio non opus est, vt fiat secundùm id, quod causa dicit formaliter, sufficit vt fiat secundùm id, quod virtualiter, vel eminenter dicit. Æquiuoca causa vel eminenter, seu modo perfectiori, vel virtualiter effectum continet. Ad id, vt aliquid eminenter alterum continere dicatur, requiritur, vt continens sit præstantioris naturæ contento, & hoc aliquo modo in illo reperiatur. Quadrupliciter sic aliquid in alio esse potest; Vel per se ipsum tanquam in sua causa; vel per quandam sui similitudinem, vel secundùm vim extendendi se ad eadem obiecta modo nobiliori; vel denique secundùm ordinationem, & æstimationem boni atque appetibilis. Primo modo causa æquiuoca effectum eminenter continere dicitur.

XXXIII. Omnia agentia intellectualia (etiam Devs quoad actiones transeuntes) propriè propter finem agunt. Finis Cuius & finis Cui neuter seorsim rationem finis habet, sed vterque simul: sic finis formalis & obiectiuus etiam vnum tantùm adæquatum finem constituunt. Finis Cuius, est res acquirenda; Cui, est id, cui eam obtinere volumus; Finis formalis, est ipsa rei possessio, & acquisitio, per quam nobis finis obiectiuus coniungitur. Obiectiuus est bonum aliquod, cuius possessio desideratur.

XXXIV. Quia finis est obiectum appetitûs, necessariò aliquod bonum, tanquam appetitûs motiuum, illi attribuendum est. Bonum in genere est integritas & perfectio cuiusque rei, potentis vt sic, fundare rationem appetibilitatis. Bonum respectu agentium intelligentium diuiditur in honestum, delectabile, & vtile. Hæc tria, etiam vtile, quà tale, sunt principium Quo causandi finis. Apprehensio, quà bonitas finis cognoscitur est tantùm conditio quædam, sine qua appetitus à bonitate finis non moueretur. Intentio, quæ est causalitas finis, non est actio; sed qualitas absoluta, in rebus creatis à subiecto distincta, in Deo verò indistincta.

XXXV. Quando Causalitas finis in motione metaphorica consistere dicitur, per illam motionem nil aliud, quàm intensio intelligi debet. Actio, quà agens producit media, non est causalitas finis, sed potiùs ipsius effectûs; fit enim vi amoris efficacis, quo finem appetimus. Idea licèt etiam metaphoricâ motione, seu obiectiuè causet, non tamen habet causalitatem diuersam à causalitatibus reliquarum causarum, sicut causa finalis. Causalitas ideæ est actio, quæ nullam sui causalitatem à se distinctam habet. Intentio, tanquam actus voluntatis per veram diuersam actionem procedit; quæ ad causalitatem finis ita se se habet, sicut passio ad causalitatem materiæ in compositum.

XXXVI. Causæ in communi spectatæ possunt sibi inuicem esse causæ. Quælibet causa à Fine causari, & eundem reciprocè causare potest. Nec per absolutam potentiam forma & materia, efficiens & forma, vti & efficiens ac materia quoad primam sui productionem, & eodem tempore sibi inuicem causæ esse possunt. Diuerso tempore non implicaret produci Petrum V. G. à Ioanne, quem olim Petrus produxerat. Causæ, quæ in prima productione se inuicem causare nequeunt, etiam id in conseruatione nequeunt: Hæ enim causæ, licèt habeant existentiā primam, non possunt tamen dici pro tempore sequenti suam existentiam habere, in quo vna alteram conseruare, eique continuatam suam existentiam cōmunicare debet. XXXVII

XXXVII. Idem se ipsum vnicâ actione producere, aut conseruare nullo modo potest. Si dentur eiusdem numero effectûs duæ causæ totales, tum duo indiuidua per absolutam potentiam possunt sibi inuicem esse causæ, & idem seipsum causare. Idem prout habet rationem effectûs est seipso ignobilius, in quantum habet rationem causæ. Nobilitas causæ non sumitur ab eo, quod hæc dicit materialiter, sed ab eo, quod dicit formaliter, nempe à dependentia, secundùm quam aliquid ab illa dependet.

XXXVIII. Vnicus effectus à pluribus causis partialibus & totalibus, quæ sint per accidens simul naturaliter produci potest. Plures diuersæ speciei vnum effectum, & eadem causa, diuersos specie effectus causare potest. Nec supernaturaliter vnus effectus principalis à pluribus causis materialibus, & formalibus constitui potest. Plures causæ totales efficientes eiusdẽ ordinis, & successiuè, & simul eundem effectum per absolutam potentiam producere possunt. Implicat eiusdẽ rei plures esse fines vltimatos: naturaliter tamen possunt esse plures causæ totales finales, non vltimæ eiusdem obiecti.

XXXIX. Penetratio quantitatum naturaliter etiam angelis, non quidem respectu sui, sed respectu aliorum corporum, vt ea penetrari faciant, est impossibilis. Si ea sumatur causaliter, tum est actio, statuens plures res in eodẽ spacio. Ad penetrationem faciendam duarum quantitatum DEVS fortiori concursu adiuuare debet, vt & altera quantitas idem spacium subintret, & altera loco cedat. Hæc fortior DEI actio quoad substantiam non necessariò est supernaturalis, sufficit, si quoad modum sit talis, nempe quoad continuationem actionis, ad quam desinendam DEVS naturaliter determinaretur.

XL. Etiamsi DEVS per impossibile ageret ad extra ex necessitate naturæ, non tamen infinitum actu, sed continenter infinita in infinitum produceret. Si DEVS in omni spatio in quo est, posset aliquid producere, cùm sit in spatio infinito, effectus necessariò illi coextenderetur, essètque infinitus. DEVS quouis instanti quemlibet angelum ex omnibus possibilibus potest creare, si & instans & angeli distributiuè, non collectiuè sumantur. Angelus in instanti productus, non posset, nisi in tempore, hoc instans consequente, annihilari.

XLI. Mundus quidem ab æterno productus non est, potuit tamen per absolutam potentiam quoad res permanentes, non item, quoad successiuas, ab æterno creari. Talis Creatura adhuc perfectissimè DEO subiecta fuisset, licèt non in æternitate, sed in tempore, æternitatem consequente, actu annihilare potuisset. Productio rei ab æterno non esset prima, sed productio vt sic; & DEVS illâ non foret prior: Vniuersim enim causa in actu secundo non est naturâ prior suo effectu. Mundus quoad aliquas partes à solo DEO propriè fuit creatus; potuisset tamen ad id assumi etiam Creatura in genere causæ instrumentalis, non item principalis; Creatio enim vires naturales Creaturæ excedit.

XLII. Cælum, tam in astra, quam in sublunaria per lucem agit. Lux illa alium in Cælo, alium in sublunaribus effectum sortitur, per veram tamen efficientiam agit. Cælũ varias qualitates occultas, quas Influentias vocant, in hæc inferiora deriuat, sed directè in animam rationalem, aut eius potentias agere nequit. Non effectiuè per motum in sublunaria agit. Causa productiua caloris ignis, qui videtur per motum produci, est natura communis, caloris & ignis: hæc enim, aëre per motum localem, qui tanquam conditio requiritur rarefacto, & vi solis ac astrorum, si quid ei adhuc desit, sufficienter calefacto, actionem suam perficit.

XLIII. Generatio substantialis est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente vt subiecto eodem. Generationes accidentium ex natura sua ordinantur ad generationem substantialem, & subiecto non taliter aliam denominationem tribuunt. Generatio hîc definitur à Philosopho prout coniuncta est corruptioni & priuationi, à qua priuatione ad ipsam formam

transeatur. Si in subiectum, vel manente priore formâ introduceretur alia; aut in eodem instanti, in quo nouum subiectum creatur, educeretur forma, non esset generatio hic descripta. In generatione substantiali non omnia accidentia pereunt. Generatio hic definita est quædam species Conuersionis; hæc autem illâ latiùs patet.

XLIV. Generationi vnius formæ naturaliter semper coniuncta est destructio alterius, corruptio non est actio positiua, aut ab agente per se intenta. In genito datur vna tantùm forma substantialis, quæ in corruptione pellitur, eique forma substantialis cadaueris succedit. Ratio ossis, nerui, carnis, & reliquorum corporis organorum per sola accidentia, seu qualitates primas certo modo, iuxta exigentiam formæ subsecuturæ, contemperatas, constituitur. Causa producens formam cadaueris instrumentalis sunt accidentia, quæ in materia corrupti viuentis reperiuntur; principalis causa est natura communis. Quòd si Cælum, aliquando potiores dispositiones poneret ad hanc formam, tum eidem, tanquam causæ principali effectus adscribi posset.

XLV. In quouis cadauere sunt diuersæ speciei formæ, à quibus materia discontinuatur; & cadauer tantùm aggregatione vnum quid est. Hæ formæ, si comparentur ad se ipsas, totales sunt; si verò ad totum aggregatum cadaueris, partiales dici possunt. Entia tam permanentia, quàm successiua, qua talia, siue corruptione siue annihilatione destructa, vti & ipsa actio per absolutam potentiam reproduci possunt.

XLVI. Alteratio est mutatio sensibilis permanentis in passionibus contrarijs & medijs. Per passiones contrarias, intelliguntur eæ, quæ ab aliquibus vocantur corruptiuæ; nec tamen omnes, sed illæ corruptiuæ, quæ ad generationem ordinantur. Vocantur etiam qualitates patibiles, & sunt de tertia specie prædicamenti qualitatis. Habitus scientiæ & erroris sunt etiam qualitates contrariæ, non tamen contrarietate hîc ab Aristotele intentâ. Alteratio secundùm se nec est successiua, nec continua, ex mente tamen philosophi necessariò est successiua.

XLVII. Viuentia requirunt organa certæ magnitudinis, quibus operentur, & sic certæ magnitudinis & paruitatis terminos habent, hi termini probabiliùs sunt intrinseci, tam in via generationis, quàm in via corruptionis; termini magnitudinis & paruitatis duo sunt intrinseci, & totidem extrinseci. Intrinsecus magnitudinis terminus vocatur Maximum quod sic, éstque maxima quantitas, sub qua res consistere potest, ita vt sub maiori nequeat. Terminus eiusdem extrinsecus dicitur Minimum quod non, & est quantitas inter eas minima, sub quibus aliquid ob earum magnitudinem non potest consistere. Intrinsecus paruitatis terminus est Minimum quod sic, quantitas nimirum minima, ita vt sub minori res illa consistere nequeat: terminus paruitatis extrinsecus est Maximum quod non, quantitas scilicet maxima inter eas, sub quibus res illa ob earum paruitatem consistere nequit.

XLVIII. Agens naturale potest agere in distans actione transeunte, si partiale sit, nô item si totale. Devs si per impossibile poneretur non esse immensus, & tamen seruare suam omnipotentiam, posset agere in distans. Supernaturaliter etiam Creatura, tam actione immanente, quam transeunte totali extra suam sphæram aliquid producere potest. Sphæræ actiuitatis agentium naturalium sunt determinatæ, inæqualis tamen magnitudinis, in quas agunt vniformiter difformiter. Agens creatum ex se simul immediatè agit in totam sphæram, nunquam tamen ita, vt in finem sphæræ totaliter agat, nihil agendo in medium.

XLIX. Reflexio in specie sumta est reditus ab obstaculo polito, seu cuius superficies æqualiter continua, & nullis poris sensualibus interrupta est. Repercussio est ex obstaculo aspero, & inæquali. Hæc non fit sub certis, & æqualibus incidentiæ angulis, sicut reflexio. Refractio est radij per diuersa media transeuntis à directa via inclinatio. Si radius è rariore medio in densius

incidat, refringitur ad perpendicularem; si è densiore in rarius, refractio fit à perpendiculari. Radius quia vlterius in partes remotiores agere ab obstaculo prohibetur, per quandam compensationem in propiores agit; nunquam tamen intensius lumen in reflexione producit, quàm sit in luminoso principali. Hoc lumen in reflexione & refractione à luminoso principali agente, & per lumen sibi proprium & per lumen in obstaculo terminatum, producitur.

L. Antiperistasis est maior qualitatis intensio, orta quandoque à causa passo intrinseca, quandoque suo modo extrinseca; posito tamen contrario tanquam conditione. Omne agens debet aliquo modo esse distinctum à passo, eique omnino dissimile quoad gradum & cum proportione maioris in æqualitatis. Dissimilitudo quoad dispositiones materiæ cum similitudine qualitatis in gradu non sufficit. Naturaliter datur reactio positiua secundùm eandem partem, idem tempus, eandémque contrarietatem, inter agentia strictè contraria, cæteris ad agendum requisitis instructa. In reactione duarum qualitatum contrariarum pars repassa cum parte non repassa tamdiu pergit vnâ actione totali agere in passum principale, quãdiu manet in gradibus intensis; & pars non repassa in partem repassam tum non agit. Si pars repassa ad remissos gradus deueniat; tum cum passo principali partem non repassam infestare incipit.

Laus DEO, DEIPARÆ Virgini, ac S. AVGVSTINO.



*Fidei, bonis moribus, & veræ Philosophiæ congruit hæc Binarij Modorum Physicorum explicatio, vt typis digna sit.*

OSWALDVS COSCANVS Soc: IESV
S. Theol. Prof. & pro tempore Decanus.



*Bipartitus hic Vnionis & Actionis modus erudito vinculo nexus, publicam lucem ac laudem meretur.*

PETRVS HILDEBRANDT Soc. IESV
SS. Linguæ & Matheseos Prof: Ord. Facul. Phil. Decanus.

# AD RELIGIOSOS DOMI- nos Vnionem defendentes.

*PErgite, magnanimo committite pectore bellum,*
*Non in mente timor, non sit in ore timor.*
*Spicula verborum, non ferrea tela feretis,*
*Figere non ferro, aut ære, sed ore licet.*
*Magna quidem res est Cœli, Terraq; tueri*
*Nexus, & tumidi vincula vasta maris.*
*Illa tamen (quod nulla potest vis) illa tueri*
*Lingua perita potest lingua diserta potest.*
*Æquora pro vobis, Tellus, & quidquid vbiq; est:*
*Pro vobis summus corripit arma Polus.*
*Caussa subest; res Cœli agitur, terraq;, marisq;:*
*Æquor, Terra, Polus; ne ruat, arma capit.*
*Munere si vestro non tuta est Vnio, Cœlum,*
*Quidquid & vnitum est, hac pereunte perit.*
*Iactat Atlas tenuisse Poli, ceruicibus axem.*
*Iactent, qui Terram, sideráq; ore tenent.*

Fraterno ex Amore

*Accinuit*

F. ARSENIVS MAYR eiusdem Ord. ac Monasterij Professus, Logicæ Studiosus.

